

26.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
MEDICA
DE
FEBRE BILIOSA
QVAM
SVB DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS
MEDICAE

PRAESIDE
IOHANNE FRIDERICO
CARTHEVSER
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
FACVLATAT. MED. h. t. PRO-DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME
IMPETRANDIS

DIE XXII. OCTOBRIS MDCCXLVI.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
JOHANNES BENIAMIN CLEEMANN
GVBENA - LVSATVS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.

VIRIS

PRAENOBILISSIMIS AMPLISSIMIS CONSVL-
TISSIMIS AC PRVDENTISSLIMIS

DOMINIS

CONSVLIBVS
SYNDICO
CAMERARIO
PRAETORI

AC

SENATORIBVS

RELIQVIS INCLYTAE CIVITATIS
GVBENENSIS

PATRONIS ATQVE FAVORIBVS SVIS
OMNI HONORIS CVLTV
DEVENERANDIS

NEC NON
V I R O
SVMME REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO
D O M I N O
ANDREAE CLEEMANN
PHILOSOPHIAE MAGISTRO, SVPREMO ECCLESIAE,
QVAE GVBENAE LVSATORVM EST, PASTORI
VIGILANTISSIMO, ANTISTITI RERVM
SCHOLASTICARVM MERITISSIMO
PARENTI SVO
EO, QVO DECET,
PIETATIS ET AMORIS AFFECTV
MAXIME OBSERVANDO

SPECIMEN HOC INAVGVRALE
TANQVM PVBLICVM DEVOTI AC GRATI
ANIMI DOCUMENTVM
OFFERT AC CONSECRAT

JOHANNES BENIAMIN CLEEMANN.



DISSERTATIO IN AVGURALIS
MEDICA
DE
FEBRE · BILIOSA.

§. I.

Quemadmodum bilis debitè constituta,
ceu liquor aquo-gummoso-saponaceus,
multiplicem in corpore utilitatem,
praesertim circa chylificationis negotium,
præstat; sic fœcunda pariter,
testante quotidiana experientia medi-
ca, variarum ægritudinum genitrix evadit,
quamprimum quantitate, qualitate aut motu peccare incipit.

A

Nullum

Nullum quippe practicorum poterit latere, ex bile viscidâ & inertî multos morbos, eosque ut plurimum chronicos, vel proximè nasci, vel remotius inde originem ducere, & sœpius adhuc iracundiae graviori non febres tantum, sed viscerum quoque inflammations, anxieties praecordiales, tormenta ventris, constrictiones pectoris, dolores colicos, cardialgicos, hystericos, aliasque affectus spasmaticos, nec minus varia digestionis & appetitus vitia, ieterum, diarrhoeas, vomitus, haemorrhagias exorbitantes, excretionum naturalium suppressiones, & morbos complures alios supervenire, qui solam bilem fervidam, fortis ac repentina cystidis constrictione largius expulsam, atque commotam, posteaque in duodeno ac ceteris intestinis, quin ipso ventriculo, ubi mora diuturniori maiorem contrahit acrem, stabulantem, vel per ipsam sanguinis ac lymphæ massam penitus disseminatam, causam materialem præcipuam agnoscunt. Singuli hi morbi ita quidem comparati sunt, ut considerationem mereantur uberiorem: Verum, cum angusti præsentis opusculi limites completam cuiuslibet evolutionem minimè permittant, & scopus præterea de sola febre biliosa, quæ frequentius in praxi obvia est, fusiis hac vice agere jubeat, ceteris prætermisis, hujus duntaxat scrutinium suscipiam, & tradita morbi historia, traditis causis, tutam quoque, & iterata experientia comprobata, curandi methodum communicabo.

§. II.

Exordiar, uti moris est, cum definitione, & formabo sequentem: *Febris biliosa, propriè ita dicta, est febris continua,*

continua, quæ unice à bile copiosa ac fervida, in duodeno pra-cipue latitante, sensimque ad sanguinis massam abeunte, pro-ducitur, & variis symptomatibus molestis, vertiginosa in primis capitis temulentia, constrictione pectoris, ardore in hypochondrio dextro, & pertinaci atvi obstrunctione stipata accedit.

§. III.

Non confundenda est cum febre biliosa ardente, quæ æque quidem, ac biliosa stricte sic dicta, à bile oritur, valde nihilominus à posteriori, quoad sympto-mata, aliasque proprietates, distincta reperitur. In fe-bre biliosa ardente. nimirum copiosa faburra fervida bi-liosa tota propemodum ac uno quasi actu ad sanguinem translata, per integrum ejus molem dispersa, altiusque humoribus sinceris immersa est, æstus totius corporis, dolor capitis, fitis ad summum adscendunt gradum, cutis siccissima, urina flammea, pulsus celer-rimus, vigilæ pertinaces deprehenduntur, iisdemque gravius ordinariò delirium, & persæpè pariter hujus vel illius partis inflammatio jungitur, quæ longè majus vitæ periculum infert, ac saepius de insigni cruxis ad coagulum proclivitate testatur; quippe quæ, censem-tibus medicorum plerisque, cauſa febris ardentis cu-jusvis præcipua existit, si videlicet cum magna masse purpureæ densitate, & magna pariter seri diluentis pe-nuria, partiumque solidarum siccitate atque stricture eminenti conjuncta deprehenditur.

A 2

§. IV.

§. IV.

Longe aliter, præsertim intuitu complicatorum pathematum, comparatum est cum febre biliosa stricte sic dicta. Calor febrilis enim, qui hanc comitatur, multò mitior, quam in præcedente, observatur, cutis humidiuscula est, quin sèpius, materia halituosa per intervalla copiosius prodeunte, valdè madida redditur, urina non adeo eminentem rubedinem ostendit, crassa tamen existit, & post aliquam moram turbida evadit, multumque incrementi mucidi ad fundum deponit, præsertim, si cum bile multæ etiam impuritates viscidæ ex intestinis ad sanguinem transferuntur: Pulsus celeritas & vehementia intra mediocritatis limites consistunt, dolor capitis saltem obtusus, cum magna nihilominus temulentia & leviori quoque vertigine conjunctus est, somnus paucissimus, etiamsi haud exigua non nunquam ad eum propensio adsit, adpetitus esculentorum prolus plerumque deficit, & sitis quoque parum urget. Hisce, ceu præcipua hujus febris signa pathognomonica, accedunt continuus amaritiei sensus in ore, & creberrimè etiam, quando bilis scilicet ex parte in ventriculum usque propulsa fuit, conatus vomendi, quin ipsi vomitus actuales, nec minus anxietates circa ventriculum, & ardor dolorificus in hypochondrio dextro sub costis spuriis, qui ita plerumque per consensum extenditur versus superiora, & partes vicinas tantopere adscit, ut æger molestissimas tensiones, ac constrictiones, immo subinde vehementes punctiones in dorso ac pectore, quæ postremæ respirationis libertati obstrac-

obstacula ponunt, & ipsos dolores pleuriticos quandoque mentiuntur, persentiat.

§. V.

Causa materialis, cui non allegata tantum symptomata specifica, sed ipsa quoque commotio humorum febrilis suos debent natales, præcipue in duodeno latet, ac nulla sanè alia est, nisi *copiosa* ac *fervida* *saburra biliosa*, nunc solitaria proflus, nunc mucidis impuritatibus, successivè in prima culina ante bilis morbificæ adventum collectis, plus minusvè remixta. Hæc quippe tunicis ob acredinem suam, atque visciditatem pertinacius adhærescit, & inimica vellicatione ac stimulo, vel rectius, vehementi quodam ardore tunicam ventriculi & intestinorum nervo-musculosam, & consensualiter quoque fibras atque membranas partium vicinarum ad violentias atque spasmodicas contractiones cogit: Unde nequitiam mirandum, quod illicè refractaria alvi obstructio superveniat, & dolor ardens in hypochondrio dextro, ubi duodenum præcipue locatum est, nec minus anxietates circa ventriculum, tensiones in dorso ac pectore, difficultas spirandi, & complicata pathemata reliqua oboriantur. Et quum pars aliqua, vel iam fluidior, vel motus peristaltici ope magis resoluta, sensim sensimque ad humores circulantes transeat, aliter omnino fieri nequit, quia actuali sua miscela præternaturales igniculos in cruento ac toto corpore accendat, accensis paullatino ex intestinis ad fluxu fomitem diuturnum atque continuum suggerat,

A 3

& tubu-

& tubolorum, præsertim capillarium, tunicas ad fortiores æque, ac justò velociores contractiones, quas presso statim pede celerior sanguinis circuitus & violentior sphærularum attritus sequitur, ea, qua dictum fuit, ratione irritet.

§. VI.

Ad duodenum memorata materia biliosa deferatur, quando cystis fellea sub iracundia graviori violenter constringitur, & contentum proinde fluidum, quod simul præternaturaliter rarescit, largiori quantitate & cum impetu per consuetum canalem effluere cogitur; hinc præ reliquis etiam homines cholericí temperamenti, qui bile abundant, & valdè præterea, ob insigem fibrarum sensitatem ac mobilitatem, ad frequentes atque vehementes animi excandescencias cernuntur proclives, febris hisce, aliisque morbis biliosis obnoxii sunt. Non nocet quidem, uti in limine pridem monui, bilis debitè constituta, ac justa quantitate & opportunè expulsa, vel sensim etiam, ut hepatica, ad duodenum fluens, sed varios potius usus præstat, dum, quoad partem subtiliorem, principii oleosi & aquei unionem chylificationis tempore adjuvat, & molecularum crassiorum, præsertim oleosæ ac resinosæ indolis, solutionem promovet, quoad partem crassiorem verò, inutilem atque superfluum mucum intestinorum abstergit, & fecum alvinarum tempestivam exclusionem moderat. Stimulo, parietum tunicis ubique impresso, adjuvat. Verum enim vero, quoties nimia quantitate, ac violentæ constrictio-

constrictionis spasmodicae ope extruditur, tunc eminentiorem ac redinem, & causticam planè indolem nan-
ciscitur, posteaque prava non minus qualitate sua, quam copia multiplicem corpori noxam infert, in primis, si iracundia gravior, cum connexa præternaturali bilis ex-
cretione, ante aut post pastum, vel etiam sub eo contingat: In tali quippe casu chymificationis ac chylifica-
tionis negotium valdoperè turbatur, loco chymi ac chyli laudabilis impuritates viscidæ atque corruptæ elab-
orantur, & bilis copiosa ac rarefacta cum iisdem mix-
ta, indicatam mineram perniciosa, aut aliam morbi-
ficam gignit.

§. VII.

Superveniente diarrhoea mucido - biliosa sponte plerumque hæc febris solvit, aut valde ad minimum vehementia ejus infringitur, & licet quidem materia peccans, per universam humorum massam jam disseminata, penitus hac ratione auferri nequeat, præcipua ta-
men moles, quæ in intestinis stabulatur, & continuum præcedenti fomitem præbet, educitur, ita, ut natura paucum, quod restat in sanguine, facili deinceps nego-
tio subigere, & auctiori diaphoresi, aut sudore comple-
to, immo metalasi quadam, quæ temporariam cutis flavedinem iæteritiam producit, exterminare valeat.
Subinde etiam huic excretioni criticæ vomitus jungitur,
si aliqua nimis biliosa faburræ portio vehementi cystidis æque ac duodenî contractione spasmodica in ipsam ventriculi cavitatem propulsa fuit, immo, subinde
vomitus

vomitus frequentes absque ulla diarrhoea superveniunt, qui excretionis tamen modus priori longè inferior & saltem semi-criticus aestimandus est, quoniam tota materia morbifica, quæ, uti dictum, majori ordinariò quantitate in intestinis, quam ventriculo, latet, neutiquam excluditur, & pertinacissima præterea alvi obstratio cum variarum partium spasmis utplurimum perseverat: Hisce accedit, quod sanguis fortí ventriculi ac viscerum connexorum commotione magis exagitetur, & ventriculo non minus, quam toti corpori magna debilitas inferatur.

§. VIII.

Quando igitur alvi obstratio maturè tollitur, & recrementum biliosum primis statim diebus ejicitur, febris suborta illico notabiliter mitigatur, & proflus plerumque post paucos dies remittere consuevit. Contrarium accidit, si intestinorum constrictio spasmatica refractaria existens, excernendæ materie causticæ maturum exitum præcludit: Quandoquidem acre ac fermentum fermentum biliosum, ob moram longiorem, non tantum majori quantitate ex prima culina ad cruentum circulantem transmittitur, ibidemque febriles igniculos sovet, & magis magisque suscitat, sed, quoad partem quoque intestinorum tunicis pertinacius adhaesens, eas adeo arrodit, ut nonnunquam, præter alia symptomata periculosa, ventriculi, intestinorum, quin ipsius hepatis, inflammations, quæ facile mortem inferunt, sequantur.

§. IX.

§. IX.

Silentio pariter non prætermittendum erit, febrem hanc, diutius scilicet impuritate biliosa in intestinis retenta, perspè in lentam atque heclicam degenerare, quæ postrema nunquam iterum tollitur, sed patienti, interjecto, nunc breviori, nunc longiori, intervallo, vitam certissimè eripit. Prædicta enim materia quo ad maximam partem, sensim tamen sensimque, ad sanguinem & lympham transfertur, ibidemque humoribus circulantibus altius immersa, systasis eorum atque temperiem naturalem turbat, functiones corporis, præfertim vitales & naturales, irregulares reddit, tubulos capillares magis magisque obstruit, & tenacius parietibus eorundem hinc inde adhærescens, continuo ardore ac stimulo vasa quæcumque ad contractiones justò celeiores impellit; unde non mirandum est, quod nonnunquam motus superveniant convulsivi, qui ludo tragico finem imponunt. Per se quidem hi ipsi mortem non inferunt, testantur tamen de statu ancipi, ac summo vitæ periculo: Natura quippe, quæ leniori motu febrili peccantem materiam à sanguine sincero segregare, minimisque vasculis fixius impactam excutere nequit, crebro heroicum hoc remedium, ceu ultimum omnino ac desperatum, ad caußam morbi subigendam & eliminandam, aut periculosissimas canalicularum obstrunctiones reserandas adhibet, etiamsi fine suo in casibus analogis rarissimè, in præsenti verò nunquam, potiatur.

B

§. X.

§. X.

Confirmandi fine neque febres exanthematicas
hac vice, neque morbos alios uberius adducam, sed u-
nicum duntaxat casum, qui febrem biliosam, & ulti-
mum inprimitis momentum concernit, recensebo: Erat
nimis vir juvenis viginti octo circiter annorum, tem-
peramenti sangvineo-cholerici, qui, prægressa vehe-
menti & iterata animi excandescientia, leniori in princi-
pio febricula, alvi obstructione, tussicula sicca, spiran-
di difficultate, & anxietatibus præcordialibus stipata,
corripiebatur. Negligebat in principio hunc morbum,
& licet crescentibus symptomatis tandem medicum
quendam advocaret, primam tamen atque præcipuam
mali caussam, præviam scilicet iracundiam graviorem,
reticebat; hinc ille etiam adfectum hunc solummodo
pectoralem judicans, febricula catarrhali stipatam, me-
ra exhibebat pectoralia, quæ parum tamen levaminis
attulerunt, etiamsi ea per hebbdomadem integrum &
ultra sat magna copia in usum vocaret. Tussicula qui-
dem post expectorantium usum nonnihil remittebat,
quin penitus tandem cessabat, & respiratio pariter libe-
rior reddebat, ast febricula, quæ jam lentam æmula-
batur, cum quotidiano incremento perseverabat, adpe-
titus prorsus dejiciebatur, adeo, ut æger rarissimè fal-
tem cum fastidio & quasi coactus pauca tantum juscui
cochlearia adsumeret, urina erat rubicunda, somnus
paucus ac turbulentus, pulsus celer ac debilis, alvus sicca
& plerumque obstructa & vires corporis quotidie magis
magisque cum animi vigore decrescebant. Rebus sic
consti-

constitutis, patiens meum quoque consilium petebat, & de iracundia prægressa interrogatus, scitu necessaria exponebat; sine mora igitur temperantia, aliaque, ad bilem corrigendam & ocyus ex intestinis expellendam apta, prescripsi. Quod factō, copiosa quidem saburra fervida ac viridis biliosa excrenebatur, & æger aliquamdiu paullò melius sese habere videbatur; verum, quum morbus jam nimium invaluisset, & febris lenta altiores pridem egisset radices, medicamentis hisce, aliisque, post bilis crasioris evacuationem præscriptis, neque adpetitus, neque vires reduci poterant, sed æger, lecto per aliquot hebdomades constanter adfixus, sensim sensimque debilior evadebat, tandemque convulsiones quedam in facie, artibus atque pectore cum delirio leviori superveniebant, quæ, biduo elapso, vitam ægro cripicabant.

§. XI.

Ex hac tenus recensitis facile, uti credo, practicus rationalis, quid agendum circa medelam, quid omitendum, perspiciet, totamque hujus febris curationem eò dirigendam esse mecum fatebitur, ut saburra fervida biliosa, sive sit solitaria, sive mucidis impuritatibus remixta, emendetur ac præparetur, tunicae intestinorum & partium connexarum spasmodicè constrictæ nonnihil relaxentur, posteaque materia emendata ac præparata blandè atque maturè, priusquam copia majori ad sanguinem tendat, & diuturniori sua in- & adhæsione parietes intestinorum gravius erodat, per alvum educatur.

B 2

Hisce

Hisce enim, prout decet, peractis, & somite materiali penitus subtracto, istud, quod jam ad humores circulantes penetravit, & febrem haec tenus suscitavit, facile & intra breve tempus subigi quoque, & per poros cutis ac vias urinarias ab ipsa natura, si paucis duntaxat pharmacis, suo loco indicandis, a medico suffulciatur, excludi poterit.

§. XII.

Prima indicatio, quæ tempestivam ac summè necessariam materiae eliminandæ correctionem ac præparationem concernit, optimè per temperantia, & temperata pariter resolventia obtinetur. Inter priora igitur *nitrofa*, v. g. nitrum depuratum, tabulatum, antimoniatum &c., nec minus *acidula* v. g. sal acetosellæ, tremor & crystalli tartari, magisterium hepaticum rubrum Dresdensē, spiritus nitri dulcis &c., inter posteriora autem *salia media* varia, v. g. arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, tartarilatus, terra foliata tartari, tartarus solubilis, liquor terræ foliatæ tartari aquosus & similia eminent: Locum tamen etiam inveniunt *aquea*, *aqueo-mucilaginea*, & *oleoso-mucilagineo-aqua*, v. g. decoctum avenaceum & hordeaceum cum radice graminis arvensis, rasura cornu cervi &c. tepidè tamen adhibitum, itemque potiunculae & emulsiones ex aquis refrigerantibus, v. g. aqua graminis, endiviae, lactucæ, fl. nymphææ, borrhaginis &c., & amygdalis dulcibus, seminibusque quatuor frigidis majoribus & minoribus paratæ, dum mixturæ ejusmodi diffusiores nonsolum bilis fervorem atque acrimo-

acrimoniam, diluendo æque ac involvendo, temperant, sed nonnihil pariter emolliendo fibras spasmadicè contractas relaxant, & tunicas intestinorum contra vellificationes inimicas & graviores arrosiones defendunt, immo, jam erosas hinc inde partibus suis oleoso - mucilagineis demulcent.

§. XIII.

Quemadmodum bilis morbifica, quod mature fieri prima jubebat indicatio, optimè emendatur, præparatur, adeoque ad exitum faciliorē ac minus moleustum disponitur per temperantium æque ac resolventium usum tempestivum, sic indicationi secundæ præ reliquis *Emollientia ungvinoso-oleosa*, & *mucilaginea* satisfaciunt, cuius censu s. g. sunt sperma ceti, oleum amygdalarum dulcium recentissimè expressum, jusculta avenacea tenuiora, cum floribus chamomillæ simplicis & radice altheæ cocta, & oleo memorato, aut butyro nondum salito ac recentissimo nonnihil pingvia reddita, & similia internè adhibita, nec minus clysteres emollientes ex radice altheæ, lil. alb., flor. chamomillæ, meliloti, sambuci, sem. lini &c. nitro, oleo lini aut amygdalarum dulcium parandi, & reiteratis etiam vicibus, si necesse fuerit, injiciendi. Internā quippe emollientia magis ventriculum & intestina tenuia, clysteres autem magis intestina crassa relaxant, adeoque alvum melius, quam illa, aperiunt; quæ singula ante evacuationem summè necessaria sunt: Nunquam enim, monentibus Medicis rationalibus, materia peccans movenda, nisi præparata,

nec præparata educenda, nisi viis, excretioni aptis, debitè prius referatis. Qui secus igitur agunt, ægro medicatione sua magis nocent, quam profunt, & nimiam fibrarum tensionem atque crispaturam præmatura evacuantum exhibitione magis augent, adeoque blandam atque completam faburræ biliosæ exclusionem procurare nequeunt ; quemadmodum in sequentibus plura de erroribus hisce practicis proponere licebit.

§. XIV.

Postquam materia morbifica in primis viis stabulans debitè præparata, & alvus quoque spasmorum ablatione aut tamen mitigatione denuò referata est, confessim de blanda evacuatione cogitandum erit, quam peragere possumus tutissimè per *laxantia mitiora* v.ig. rhabarbarum, sal Ebshamense &c. : Quibus tamen addi meretur, huic & prioribus indicationibus eodem statim tempore, & uno quasi actu satisfieri posse, si in principio emollientia cum laxantibus illicè misceantur, & una cum temperantibus ac resolventibus exhibeantur. Præ reliquis igitur ad hunc finem obtainendum formulæ sequentes, quas sæpius in hac febre cum insigni plerumque emolumento, præscripsi, aptæ inveniuntur: Rec. Lap. canceror. citrat., tremoris tartari, arcani duplicati ana scrupulum unum, sperm. ceti finiss. drachmam semifissim, nitri depurati drachmam unam cum dimidia. M. F. Pulv. divid. in 8. part. æquales. Hujus pulveris partes quatuor quovis die in vehiculo aquo ægrotanti porriguntur, vel integra etiam moles ejus

ejus, omissa tamen spermatis ceti additione, cum aquis refrigerantibus, supra pridem recensitis, in potiunculae formam redigitur, eademque cochleatim, per intervalla tamen breviora, propinatur. Huic, præter clysterem emollientem, sequens jungendum est electuarium: Rec. Olei amygdalarum dulcium recentissimè expressi drachmas sex, rhabarbari orientalis pulverisati drachmam unam, spermatis ceti albissimi scrupulum unum, sachari Canariensis quantum satis ad consistentiam. M. Hoc remedium, quod vicibus alternis cum pulvere præcedente ad unum cochleare minus (Thee- Löffelgen) exhibetur, non tantum fibras vehementer constrictas relaxat, & alvum pertinacius obstructam reserat, sed mucido-biliofam quoque faburram blandè abstergit, eamque citra ullam violentiam sensim per alvum educit; quâ eductâ, symptomata quævis & ipsa pariter febris confestim ac notabiliter remittunt, immo, nonnulla prorsus cessant. Per aliquot itaque dies pulveris & electuarii usu continuato, mitigatis etiam pathematibus complicatis plerisque, & inimica faburra crassiori exterminata, electuarium, nemiam relaxationem inducat, reponere, ac solum pulverem, aut solam potiunculam aliquamdiu exhibere convenient, quo subtiliores etiam scoriæ biliosæ, per humorum massam pridem dispersæ, subigantur, iisdemque per poros cutis ac vias urinarias ejectis, adeoque materiali caufa subtracta, febris paullatim profligetur.

§. XV.



§. XV.

Laudata medicamina ordinariò, quod memet iterata docuit experientia, tollendo huic morbo sola quidem sufficiunt, meritò nihilominus hoc loco queritur: num *plebotomia* in eo locum pariter inveniat, & aliquam spondeat utilitatem? Ad hanc quæstionem respondeo: quod illa omnino, licet non semper proficia reperiatur, subinde necessaria existat, quando nimirum febris hæc hominem summe plethoricum corripit, aut hepatis, ventriculi, intestini duodeni &c. inflammatione imminet, vel dudum juncta deprehenditur. Nihil quidem ad materiae urentis ac vellicantis emendationem aut evacuationem confert, fibrarum tamen relaxationem, sive in brachio sive pede administretur, adjuvat, & inflammationem imminentem avertit, vel jam præsentem, quæ præcipua administrationis cauſa æstimanda, notabiliter minuit: sin nulla verò pléthora urgenſ, nulla suspicio inflammationis jam subortæ, nec ullus quoque metus nascentis & adventantis adsit, semper omitti debet, dum, præter aliqualem fibrarum relaxationem, quæ aliis tamen remedii tutius procuratur, nullam prorsus utilitatem in febre biliosa solitaria ac sibi relicta præstat, sed, ægrum magis debilitando, loco sperati emolumenti noxam potius creare conſevit.

§. XVI.

Clarè ex hac tenus communicata rationali mendendi methodo patescere opinor, perversè ac contra sanioris

sanioris scientiæ regulas agere, adeoque severiori uti-
que reprehensione dignos esse, qui febris biliosæ cu-
rationem in principio statim, nulla prorsus materiæ
præparatione præmissa, nulla tunicarum valdè con-
strictarum relaxatione procurata, *Emeticis* adgrediuntur.
Hæc ipsa enim non tantum commotionem hu-
morum febrilem, sed spasmaticas quoque fibrarum
ac tunicarum constrictiones in intestinis, ventriculo &
partibus connexis eminenti irritatione sua augent, &
inflammatoriis idèo cruxis stasibus majorem occasio-
nem suggurerunt, vel jam enatas longè graviores, quin
sæpissime lethiferas, reddunt: *Nibil frequentius enim,*
ita differente B. HOFFMANNO ^{a)}, *in praxi occur-
rit, quam ab ira, (quæ præcipua & plerumque unica
febris biliosæ causâ procatarrética existit), inflamma-
tionem pati ventriculum & intestina, eamque cumprimis
lethalem fieri, si mox potus frigidus paullo avidius super-
ingeratur, vel purgans vel emeticum propinetur, ad bitem
ab ira, ut vulgo putant, commotam è ventriculi sini extur-
bandam - - - adeoque cane & angue pejus vitanda
in affectibus & symptomatibus, ab ira productis, omnia pur-
gantia drastica & emetica &c.*

§. XVII.

Nonnunquam pariter, quod silentio prætermittere nequeo, inconsultam hanc emeticorum exhibitionem tanta sequitur ventriculi debilitas, tantaque appetitus dejectio, ut ægri quævis esculenta penitus aversentur, & pauca etiam, citra adpetitum ingesta

C *ingita*,
illicò

a) In Med. System, T. II. P. 2. cap. I. §. 14.

illicio per vomitum reddant. Tam refractaria præterea hæc imbecillitas ventriculi, si aliquamdiu fuerit neglecta, reperitur, ut robur naturale apud subjecta nonnulla, præsertim in senili pridem ætate constituta, vix iterum, optimis etiam adhibitis confortantibus, restituī queat; quemadmodum istud apud fœminam sexagenariam manifestè aliquando observare mihi contigit: Hæc nempe, post prægressam graviorem animi excandescientiam, in febrem biliosam, consuetis symptomatibus, & constanti inprimis nausea, ac vomendi conatu stipatam, incidebat. Medicus accersitus verum morbi genium minus debite perpendens, neglecta materiae biliosæ præparatione, spretis quoque reliquis, evacuationi necessariò præmittendis, statim emeticum, ad bilem, uti prohibebat, tempestivè ē ventriculo ejiciendam, ægrotanti porrigebat. Sed quid sequebatur? nihil certe aliud, nisi notabile symptomatum plerorumque incrementum. Calor quidem febrilis, elapsis aliquot diebus, nonnihil remittere videbatur, ast tanta paullatim ventriculi imbecillitas superveniebat, ut ægra nulla amplius alimenta, si pauca potulenta, præsertim aquam frigidam, exceperis, retinere posset, sed paullò post adsumptionem per vomitum denio redderet. Medicus prædictus varias quidem tinturas calidas stomachales præscribebat, at nihil earum usū efficere poterat, sed ventriculi debilitas cum adpetitus ac virium dejectione sensim augebatur, & in febris biliosæ locum febricula lenta succedebat, quæ, nullis postea remediis, ut ut congruis, cedens, post novem hebdomadum decursum ægram summè emacia-

emaciatam vita privabat, ac prognosin meam, quam, ultimo tempore, adeoque nimis serò, ad juvandum vocatus, formaveram, satis, ac septem vix elapsis diebus, confirmabat.

§. XVIII.

Eandem quoque noxam, quod pridem ex supra allegato HOFFMANNI testimonio patet, *Cathartica completa*, primis statim diebus oblata, biliosa febre laborantibus inferunt. Aequè nempe, ac præcedentia, stimulando operantur, adeoque hostili vellicatione sua præternaturales partium solidarum stricturas magis pariter intendunt, & peccanti non solum bili fervidiorē conciliant indolem, sed febrilem quoque cruoris commotionem augent. Hisce accedit, quod materia corrupta hac ratione ex intestinorum canale nunquam penitus educatur, & violentam hanc evacuationem major alvi obstipatio, & prava pathemata alia presso plerumque pede sequantur, quibus creberrimè mors ipsa, nunc citius tamen, nunc verò tardius, succedit, præsertim, si imprudentes medicastri, quod frequentissimè ab ipsis fieri satis compertum habeo, emeticis & purgantibus, præmaturè & inconsultè exhibitis, alia etiam pharmaca calidiora jungant.

§. XIX.

Non possum non, quin ad hæc confirmanda, singularem quoque casum, quem apud virum quinquaginta circiter annorum, & melancholico-cholerico

C 2 tempe-

temperamento præditum, annotavi, adducam uberius: Sentiebat ille, post prægressam graviorem iracundiam, insignes anxietates præcordiales, tensiones in dorso, & tantas pectoris constrictiones, ut difficilè admodum inspiraret; alvus præterea per biduum pertinacissimè obstrœcta erat, cum aliqua sanguinis ebullitione, vertiginosa capitis temulenta, adpetitus dejectione, & intercurrentibus levioribus horripilationibus. Petebat igitur à pharmacopœo quodam purgans medicamentum, acceptumque adsumebat, ast illud, licet aliquam faburræ mucido-biliose portionem actione violenta extruderet, nullam tamen symptomatum prædictorum mitigationem procurabat, multò minus desideratam alvi libertatem reducebat, sed singula potius majora incrementa capere videbantur. Aliud proinde pharmacum, & quidem tinteturam quandam calidam spirituosam, ab eodem pharmacopœo temerario oblatam, per triduum, quanquam circa ullum proſus levamen, in usum vocabat: Recensita quippe pathemata citato curſu ruebant in deterius, & æger, qui haſte-nus obambulare potuerat, nunc in lecto decumbere cogebatur, & spiritum vix amplius trahere valebat, ita, ut suffocationis periculum creberrimè immineret. Alia nihilofecius medicamenta, & ejusdem quidem cum prioribus commatis, à prædicto pharmacopœo accepta, per septem propemodum hebdomades adsumebat, donec gravior hepatis obstructio, ex duro inprimis ac magno tumore in hypochondrio dextro cognoscenda, & uno pariter die præter omnem expectationem ingens ac repentina ventris intumescencia, hydro-

hydropem æmulans, symptomatibus reliquis, ne minimum haec tenus mutatis, accederent. In ancipiti hoc rerum statu tandem medicastro suo valedicere, ac meum auxilium implorare consultum ducebat. Accersitus itaque, & scitu necessariis debite prius exploratis, preter clysterem, tam pulveres nitrosos, quam supra etiam descriptum electuarium in usum trahere jussi, quibus intra paucos quoque dies efficiebam, ut venter rursus detumesceret, & respiratio cum excretione alvina liberior evaderet: Verum enim verò, quum hepatis, & aliorum sine dubio imi ventris viscerum obstructio per moram diuturniorem jam invaluissest, referari illa, ac sanitas penitus restitui nequibat, sed febris lenta & hec tica, tandem, uti prædixeram, superveniens, exactis tribus mensibus, finem tragœdiæ imponebat.

§. XX.

Plura de erroribus, quos medicastræ & practici incauti circa explanatae febris, aliorumque, iracundie graviori succendentium, pathematum curationem frequentissimè committunt, hac vice adducere nolo, sed ad *regimen dieteticum*, cuius recensione brevi finem dissertationi imponam, transfire consultum duco. Quod primò igitur loco *aerem* attinet, monendum erit, conducere temperatum: Frigidus enim transpiracionem periphericam, quâ paullatim tamen biliosæ scorriæ, ex intestinis ad sanguinem ac lympham translatae, præcipue exterminari debent, supprimit; justâ

C 3

calidior

calidior autem ægrum magis debilitat, æstum febri-
lem auget, & præmaturos ac nimios sudores, qui cor-
pus utili spoliant sero diluente, provocat. Omni pa-
riter cura vitanda erunt *esculenta*, calidioribus condita
aromatibus, nec minus *potentia* quævis spirituosa, dum
magis quoque bilis commotæ fervorem cum æstu fe-
brili intendunt: Magnopere ex adverso proficia de-
prehenduntur, & medicaminum actionem egregiè pro-
movent alimenta mucilaginea atque gelatinosa, v. g.
juscula pullorum, juscula avenacea, vel ex hordeo aut
tritico excorticato parata, itemque potulenta tempe-
rata, in principio tamen, quando spasmi adhuc vigent,
tepidè hausta, v. g. decoctum avenaceum, absque ra-
dice cichorii paratum, decoctum hordeaceum, aqua
simplex sola, vel cum radicibus graminis arvensis &
scorzoneræ cocta, serum lactis acidulum, ex lacte dulci
artificiali præcipitatione productum, & similia. De
motu, somno, adfectibus animi &c. parum habeo dicen-
dum, reticere tamen nequeo, patientem sanitatis re-
ditum multum accelerare, si animum, quantum fieri
poterit, ad tranquillitatem, & corpus ad quietem com-
ponere studeat, ac novam in primis iracundiam cane-
pejus & angve fugiat, quippe quæ, ut ut levissima,
morbus hunc, ut id ex tractatione præcedenti jam
manifestum est, magis exacerbare, & jam jam cessan-
tem plenè planeque, quin cum majori adhuc
periculo, reducere valet.

T A N T V M .

COROL.


COROLLARIA.

- I. **B**ilis cystica & hepatica eandem quidem originem, eundemque secretionis locum agnoscunt, temperie nihilominus & amaritie, qua^e in priori maxima, in posteriori ferè nulla est, magnoperè differunt.
- II. In bile naturali atque perfectè sana neque explicitum sal acidum, neque alcalicum, neque medium demonstrari potest.
- III. Salina acida mitiora bilem nonnihil coagulant, adeoque expansionem ejus præternaturalem, nimiumque fervorem potenter minuunt; alcalia ex adverso eam magis resolvunt, expandunt, & ideo fluiditatem ac calidam indolem augent, immo, per acida pridem coagulatæ pristinam fluiditatem reddunt.
- IV. Febris non morbus est, sed morborum remedium; hinc medicus non de febre ipsa, sed

sed de cauſſa febris removenda præcipue cogitare tenetur.

V. Medicus, de materia morbiſica præparanda, ac viis excretoriis reſerandis, prout deſet, ſollicitus, in febrium curatione phar-maciſ ſudoriferis, propriè talibus, raris-fimè indiget, dum natura, remotis obſtaculis, ſola utplurimum evacuationem præſtare valet.

VI. Nitrum præternaturalem ſangvinis æſtum, non actualiter refrigerando, ſed incidente, reſolvendo, & aperiendo, minuit.



01 A 6545




Sb.

VD 18

VON

B.I.G.



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS
MEDICA

DE
FEBRE BILIOSA

QVAM

SVB DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS
MEDICAE

PRAESIDE
**IOHANNE FRIDERICO
CARTHEVSER**

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
FACVLTAT. MED. h. t. PRO-DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME
IMPETRANDIS

DIE XXII. OCTOBRIS MDCCXLVI.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

IOHANNES BENIAMIN CLEEMANN

GYBENA - LVSATVS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

TYPO^S PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.

